



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Juris Canonici Theoria Et Praxis, Ad Forum Tam  
Sacramentale quàm contentiosum, tum Ecclesiasticum,  
tum Seculare**

**Cabassut, Jean**

**Lugduni, 1698**

XII. De minori excommunicatione.

---


[urn:nbn:de:hbz:466:1-62355](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62355)

Canon 3. Concilii Agathensis, Canon 56. Meldensis, Canon 2. Aurelianensis IV. & Canon 13. Vormatiensis. Vide si lubet apud Gratianum *can. Episcopi*, & *can. Nemo Episcoporum*, & *can. Nullus Sacerdotum*, 11. quæst. 3. S. Augustinus de corrept. & gratia rationem horum suppeditat cap. 13. *Quia* (inquit) *pœnâ excommunicationis nulla major est in Ecclesia*. Denique Ludovici XIV. feliciter nunc regnantis Constitutio mensis April. an. 1666. sic ordinat: *Non astringentur Ecclesiastici ad censuras vel monitiones decernendas, nisi pro gravibus causis*. Omissis minoribus taxationibus quas cæterorum graves Authores in hac materia monitionum præfixere, magis convenientem existimaverim taxationem illam quam doctissimus Episcopus Piafeci in sua praxi Episcopali, p. 2. cap. 4. præfigit ad viginti scuta, quæ summa in paupere familia potest esse gravissima, & absolute gravis in furto, in composito, in deposito. Concilium quoque provinciale Avenione celebratum sub omni virtutum genere ornatissimo Francisco Maria Taurisio ex Congregatione Romani Oratorii Archiepiscopo & Cardinali, providet ne pro minori dispendio quàm vigint. aureorum expediantur monitiones aut censura.



## C A P U T XII.

### *De minori excommunicatione.*

I.  MNIS quidem excommunicatus, etiam toleratus, privatur sub mortali peccato ab auditione Missæ & assistentia in Divinis Officiis. Potest tamen ingredi Ecclesiam, & seorsim adorare, & orare coram sanctissimo Sacramento, dum abstineat à Missâ & publicis Officiis. Hoc dicit Alterius lib. 1. disp. 10. cap. 5. & Bonacina de excom. disp. 2. quæst. 2. puncto 3. §. 2. n. 9. asserentes esse communem sententiam. Non enim illi prohibentur privata orationes, neque ingressus Ecclesiæ ad hunc finem, sed tantum ad finem participandi communibus Ecclesiæ precibus, & suffragiis. Reliqui tamen Fideles ex concessione Extravag. *Ad evitanda*, non tenentur excludere à Missâ, vel Divinis Officiis excommunicatum toleratum, quanvis iste, ut dixi, si his interfit, peccet mortaliter, nisi ignorantia excusetur.

II. Secus tamen agendum circa excommunicatos evitandos. Quisquis enim scienter Missam, aliave Ecclesiastica Officia celebrat coram excommunicato evitando, peccat mortaliter; simulque ligatur excommunicatione minori quisquis scienter interest Missis aut Divinis Officiis præsentem illo, sive Clericus sit, sive Laicus; cum enim decrevere pœnam prædicti Canones

Canones contra quoscumque participantes, sive in Divinis, sive in humanis cum quovis excommunicato. Qui Canones etiam nunc vigent, exceptâ solâ mitigatione Extravagantis prædictæ circa non notorios, aut non denunciatos nominatim excommunicatos. Hujusmodi sunt can. *Excommunicatos*, & can. *Cum excommunicato*, & can. *Qui communicaverit*, 11. quæst. 3. Si ergo inchoatâ jam Missâ adveniat notorius, aut nominatim denunciatus excommunicatus, monendus est ut inde exeat: si parère recuset, vi ejiendus est, quanvis esset Sacerdos. Sed si ejici non potest, tunc distinguendum est ita. Vel Sacerdos inchoavit Canonem Missæ, vel non: si non inchoavit, debet à cæpta Missâ desistere & in sacristiam redire: si verò Canonem jam inchoavit, debet prosequi reliquum usque ad communionem inclusivè, & iis quæ sequuntur prætermittis, ad sacristiam redire ubi prætermissa supplebit. Qui verò excommunicati, vel interdicti admoniti exire pertinaciter manserint, eorumque in ista pertinacia fautores, novo excommunicationis ipso facto Pape reservatæ vinculo ligantur, Clement. 2. de sent. excom. Hæc docent unanimes omnes, nemine contradicente, Doctores: præterquam in eo quod aliqui eorum excusandum esse asserunt Sacerdoti tantummodò in puncto consecrationis, quum ventum est ad verba, *Qui pridie quàm pateretur*, ut vult Navarra: alii verò communiùs negant absolute excusandum esse ab inchoato semel Canone. Videri potest hæc ubertim pertractans Suarez de censur. disp. 12. sect. 2. num. 11. & sequentibus.

III. Sacerdos scienter celebrans coram excommunicato evitando peccat mortaliter: nec solum illigatur minori excommunicatione, simulque interdicto ab ingressu Ecclesiæ, cap. *Episcoporum*, de privileg. in 6. sed præsumens deinceps celebrare antequam absolutionem consequutus sit, sit irregularis, non quidem propter violationem minoris excommunicationis (quæ utique non sufficit ad pœnam irregularitatis incurrendam, ut addiscimus ex cap. *Si celebrat*, de cler. excom. minist.) sed ob violatam prædicti Interdicti censuram.

IV. Sicut autem quisquis scienter in sacris & divinis communicat cum evitando excommunicato, peccat mortaliter ob materiæ gravitatem: ite in civilibus & humanis peccat tantum venialiter ob materiæ levitatem. Sed tamen ex hoc ipso implicatur excommunicatione minori, d. ean. *Excommunicatos*, & can. *Cum excommunicato*, & can. *Qui communicaverit*, 11. q. 3.

V. Hujusce minoris excommunicationis effectus est prohibitio, non quidem conferendi, sed solum suscipiendi Sacramenta, & privatio vocis passivæ, sed non activæ: potest enim alium eligere, sed non eligi, atque etiam jurisdictione uti qui hanc minorem contraxit. Nullam verò incurrit irregularitatem ex minoris excommunicationis violatione per Ordinis sacri exercitium ille qui hac censurâ est illigatus, cap. *Si celebrat*, de cler. excom.


excommunic. ministr. Quod verò ibidem statuitur, eundem celebrando graviter peccare, idem venit non quatenus confert, sed quatenus suscipit in celebratione Eucharistiae Sacramentum.

V I. Duos itaque pariter effectus minor excommunicatio. Primus horum in privatione passivæ Sacramentorum susceptionis consistit. Secundus est irritatio electionis in ejus favorem qui hac est irritus, ut decernit dictum caput *Si celebrat*. His enim verbis, *Ejus electio est irritanda*, non negat esse validam sive electionem, sive præsentationem, sive collationem, sive institutionem. Sed tamen satis insinuat esse illicitam, cum decernat illam irritandam esse: atque adeò taliter illigatum non posse citra gravem offensam suscipere & retinere Beneficium, nisi se absolvi curet. Ugolinus tab. 3. cap. 6. §. 3. Suarez disp. 24. de censuris, sect. 2. num. 21. Felinus in cap. *Dilecti*, de exceptione. Ricardus in 4. dist. 18. art. 7. quæst. 4. Filliucius cap. 2. quæst. 10. num. 25. & alii communiter.



## C A P U T XIII.

### *Quanam ignorantia excuset à censuris.*

I.  **R**ESUPPONENDÆ hinc sunt multiplices ignorantiae distinctiones. Alia dicitur ignorantia respectu poenæ, scilicet quod lata sit in tali casu censura. Alia respectu Juris, an à Jure hæc vel illa actio prohibita sit. Alia item respectu facti, cum res aut persona ignoratur, ut an id quod telo ferire intendo, sit fera, an homo; vel an sit homo laicus, an Clericus. Insuper alia est inculpabilis ignorantia sive juris, sive facti; alia verò culpabilis. Prima vinci non potuit in illis rerum circumstantiis, ideoque censetur inculpada. Secunda vinci potuit, idcirco judicatur culpabilis.

II. Communis regula est, culpabilem esse rerum ad proprium cujusque officium spectantium ignorantiam, ut est imperitia Medici in ægrotulo curando, §. *Præterea*, Institut. de lege Aquilia. Id quidem ita judicari solet in externo foro ex Juris præsumptione, quod quis negligens extiterit in iis quæ proprii officii sunt addiscendis. Quæ tamen cessare præsumptio potest in foro conscientiae. Perspecta quippe omni sapienti est ipsa humani ingenii naturalis infirmitas. Alioqui permulta sequerentur absurda. Primum, neminem qui non sit eximii ac præstantissimi ingenii, posse ulli se arti aut disciplinæ addicere citra gravia & continua peccata; quia quantumlibet adhibuerit quis in addiscendo diligentiam, ignorabit tamen non pauca quæ eximii quidam ejusdem artis professores inimitabili solertia assequuti